



## CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

**KHARKIVIENSIS-ZAPORIZHIENSIS**

de Concathedralis erectione

**DECRETUM**

Ut spirituali Populi Dei bono aptius consulatur atque pastorale suum munus efficacius adimplere valeat, Exc.mus P.D. Stanislaus Padewski, Episcopus Kharkiviensis-Zaporizhiensis, ab Apostolica Sede expostulavit, ut templum, in urbe vulgo Zaporizhia extans, Deo Patri Misericordiarum dicatum, ad dignitatem et fastigium Ecclesiae Concathedralis eveheretur.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Ioannis Jurkovič, Archiepiscopi titularis Corbaviensis et in Ucraina Apostolici Nuntii, vigore specialium facultatum sibi, a Summo Pontifice BENEDICTO, Divina Providentia, PP. XVI, tributarum, oblataς preces benigne accipiendas esse censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicæ sub plumbo Litterae datae forent, decernit, ut, servata dioecesis Kharkiviensis-Zaporizhiensis Cathedrae episcopalis dignitate, templum Deo Patri Misericordiarum in urbe nuncupata Zaporizhia extans dicatum, titulo ac fastigio Ecclesiae Concathedralis decoretur, cum omnibus iuribus, honoribus et privilegiis ac oneribus et obligationibus quae huiusmodi Ecclesiis sunt propria.

Prot. N. 535/2005

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis memoratum  
Exc.mum P.D. Ioannem Jurkovič deputat, necessarias et oportunas  
cidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo  
agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum onere  
imposito ad eandem Congregationem, ubi primum fas erit, authenticum  
exemplar actus peractae exsecutionis transmittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 6  
mensis Iulii anno 2005.

Ioannes R. Card. K.  
Pref.

James Sonale  
Off.